

runt Medici, quorum casus Pisone recensentur.

Maniacorum furores ad Lunæ circuitum revertentes in Vulgus noti sunt. Menses muliebres à Luna concitari non ex opinione vana, sed sedula observatione comperta re affirmarunt veteres, & recurrerent sine dubio universis fæminis eadem certè lege hæc purgationes, nisi sideris hujus viribus intercederent varia, singularum victus, vitæque ratio, infinitum temperamentorum discrimen, & incerta plurimorum casuum vis, & efficientia; accedit, quod in regionibus Æquatori propioribus, ubi validissimam esse lunarem actionem supra innuimus, copiosius fluant menses, imminuantur autem ea, qua Polos vergunt proportione.